

Samuel Müller Tobias Krull

## **Dissertationum Practicarum Prima De Natura Philosophiae Practicae In Genere**

Rostochi[i]: Reusnerus, 1639

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729601609>**

Druck Freier  Zugang



R II phil 1639

Samuel Müller

Tobias Krüll





Quod felix & faustum esse jubeat.

D. T. O. M.

DISSERTATIONUM PRACTICARUM  
PRIMA

De

NATURA PHILO-  
SOPHIÆ PRACTICÆ  
IN GENERE,

Quam

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
in inclytâ Rostochiensî Academiâ

*Publico placidoq; Doctorum examini subijciens*

M. SAMUEL MULLER

Ruppino-Marchicus S.S. Theol. Studiosus

PRÆSES,

Et

THOBIAS *RXVLL* / Helmstadiensis  
Respondens

*In Acroaterio Majori ad diem 30. Januarij.*  
*horis à septimâ matutinis.*

☉ (:O:) ☉

ROSTOCHI,

Prælo REUSNERIANO,

---

ANNO M. DC. XXXIX.

DISSENTATIONEM PRACTICAM  
PRIMA

MATHEMATICA  
SOPHIE PRACTICE  
IN GEMER

Consentit A. Müller  
M. SAMUEL MÜLLER  
Ruppiner-Universität S. S. T. Theol. Studiens  
P. 1848

THOMAS  
In der  
Rostock

ROSTOCK  
H. REBERER



## PROOEMIUM.

**L**icet tota Philosophia frugifera & fructuosa, & neutra  
ejus pars seu Theoretica, seu practica inculta & deserta  
sit, adeoq; utraq; dignissima, in qua excolenda omnes  
ingenij nervi intendantur, plurimumq; cura & opera colloce-  
tur: Nullus tamen in ea feracior locus est, Tullio Judice lib.  
3. Off. quam de officiis, à quibus constanter, honesteq; vivendi  
præcepta ducuntur. Cum enim omnes artes ac disciplina libe-  
rales propter hominem sint inventæ & constitutæ, ut duplex  
animi morbus, mentis à vicia ignorantia, & appetitus à vitiis  
curetur; contra veri cognitio, boniq; ratio introducat: & tan-  
tò cujusq; cognitio humana societati præ aliis sit fructuosior,  
quantò ad summum in hac vitâ bonum consequendum homini  
est conducibilior: Dubitari profectò non potest, quin Practica  
Philosophia longè sit utilissima, maximeq; fructuosa, cum nulla  
vitæ pars, nulla vivendi ratio carere fructu, qui ex ejus cog-  
nitione percipitur, sine maximo incommodo possit. Hæc enim mo-  
dum in omni vocationum genere probè honesteq; vivendi tra-  
dit: hæc universum moralium virtutum chorum homini con-  
templandum proponit, & quanta in illis pulchritudo; in his sit  
deformitas ostendit: hæc media idonea monstrat, quibus virtu-  
tes à nobis comparari; vitia verò declinari possint: hæc ratio-  
nem benè administrandi tum domum, tum Rempublicam docet.  
Sine hac nemo bonus vir, nemo bonus Paterfamilias; nemo bo-  
nus civis evadere potest: sine hac nulla societas humana neq;  
privata neq; publica, neq; domestica neq; civilis consistere &

conservari potest. Intelligebat hoc Socrates vir ipsius Apollinis iudicio tum temporis sapientissimus, qui relicto contemplationis studio totum se doctrinae bene vivendi & agendi tradidit & addixit, eamque quasi è caelo in terram ad usum hominum, rectamque morum institutionem, traduxit. Existimabat enim summam hanc esse sapientiam, bona malaque distinguere, & illa quidem appetere & persequi; haec aversari & fugere. Eadem mens fuit Philippi Macedonum Regis, qui proinde filium Alexandrum re & nomine magnum diligenter admodum hortatus est, ut Philosophia Practica operam daret, ne committeret, quae se nunc fecisse poeniteat. Videbat enim vir prudentissimus in vita civilis institutione ac Reip. administratione facile errare posse eum, qui praecipis bene agendi non esset instructus. Ergo cum tanta sit moralis Philosophiae necessitas, tanta utilitas, utique nos abs re minime fecerimus, si ad eam horis subsecivis studia nostra convertamus, in illaque excolenda aliquam studiorum nostrorum partem insumamus. Quo sine in praesentiarum nullam temerariam contradicendi libidine, nullo novitatis studio, sed solius veritatis amore pauca hac disputatione primam de naturam Philosophiae Practicae in genere publico eruditorum examini proponere volui, in quibus, si à receptis Doctorum nonnullorum opinionibus, quos alioqui suspicio & veneror, nonnihil discessisse videbor, meminerit cordatus censor, eam necessitatem ipsam mihi Philosophiam imposuisse, secundum quam nihil iniquius est, quam rerum omnium dominatorem intellectam facere servum alienarum opinionum, plusque auctoritati, quam veritati tribuere. Velim ergo ad veritatis libram omnia sine praesudicio & affectibus prius ponderari, quam temere de iisdem iudicium ferri. Quod super est Deum studiorum nostrorum autorem & promotorem unice maximum supplices invocamus, ut suam nobis adsit gratia, quo nostrum hoc conamen cedat in sui nominis gloriam & optatissimum Ecclesiae & Republicae emolumentum. Sit ergo

THE-

# THESIS I.

**D**ari Philosophiam practicam apud omnes in confesso est: quodnam vero ejus sit ingenium non perinde notum ac manifestum, præsertim ob discrepantes variorum Autorum super hac re sententias.

2. Nos ergo naturam ejus generalem per definitionem ac divisionem indagaturi, cum ex cognitione & intelligentiâ vocum ad ipsius rei intelligentiam provehamur, (quo respectu *ὀνόματα* quasi τῶν ὄντων νοήματα à quibusdam judicantur) ideo juxta consuetam tractandi methodum explicationis nostræ telam ab *ὀνοματολογία* ordiemur.

3. Aliquot hæc Philosophiæ pars insignitur nominibus. Vocatur enim Græcis (1.) *πρακτικὴ* scil. *ἔξις* habitus activus, ductâ appellationis ratione vel 1. ab *Objecto*, quod sunt τὰ *πρακτὰ* agibilia, ut loquuntur, seu ea, in quibus est actio moralis: vel 2. à fine, qui est *πρᾶξις*. Est autem *πρᾶξις* functio nostri intellectus, quâ intellectus & voluntas ob boni considerationem ad bonum & honestum peragendum quasi extenditur.

4. Vocatur 2. *πολιτικὴ* *πρᾶξις* τῆς πόλεως à civitate, quia hominem tanquam animal politicum informat, quomodo in politia, i. e. societate humanâ honestè versari possit & debeat, ut ita tota civitas & Resp. cujus membra sunt singuli homines, & ex his constitutæ familiæ, sit florens & felix. Nihil enim civitas aliud est, quàm societas quædam ad benè vivendum & domibus & familijs instructa vitæ perfectæ gratiâ, definiente Aristotele lib. 3. Polit. c. 6.

5. Ubi tamen notetur, apud Philosophum bifariam accipi politices vocem: *γενικῶς* & *ειδικῶς* speciatim. Generatim, & quidem per synecdochen partis pro toto politices vox venit pro totâ, ut dictum est, Philosophiâ Practicâ, præsertim lib. 1. magn. moral. c. 1. ubi Philosophus Ethicam partem politices di-

fertè nominat, & 7. Ethic. c. 3. ubi negat adolescentem idoneum esse auditorem Politices. Refero huc & illud lib. 7. Rhet. c. 4. ubi asserit Rhetoricam compositam esse ex scientiâ analogicâ & ex Politicâ, quæ in moribus versatur. Speciatim verò hac voce Philosophus designat 1. Disputationes suas de Rep. Generalem Philosophiæ moralis partem Ethicam vulgò & communiter dictam. Sic inquit lib. Ethic. Nicom. c. 2. considerationem summi boni esse politices, & ibid. lib. 1. c. 4. politicum summum bonum expetere.

6. Apellatur ἠθικὴ vel 1. ἀπὸ τῆ ἐθῆς à consuetudine & adsvestatione; mutatâ vocali brevi ε in vocalem longam η docente Aristotele lib. 2. Ethic. c. 1. & 2. vel ἀπὸ τῶν ἠθῶν à moribus: quorum illud causam virtutum efficientem; hoc disciplinæ hujus Objectum designat.

7. Sed & hujus nominis duplex usus est: Generalis unus, quo totam Philosophiam moralem Ethicam dicimus ad imitationem Stoicorum, Zenonis, & aliorum, qui tripartitam ferebant esse Philosophiæ rationem, aliam Physicam, Logicam aliam, tertiam deniq; Ethicam, sicut videre est apud Cicer. lib. 1. Acad. quæst. & lib. 1. de Oratore. Quintil. lib. 12. c. 2. Specialis alter, quo primam tantummodò ejus partem hoc nomine denotamus.

8. Latinis porrò vel 1. absolutè & κατ' ἐξοχὴν Philosophia audit. Quâ significatione Philosophia dicitur morum magistra, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix &c. Cicer. 5. Tuscul. Sic vulgò dicitur: Natura dat vivere: Philosophia benè vivere: vel 2. dicitur Philosophia civilis, eandem quâ Græcis, ob causam: item moralis, de moribus, ad mores pertinens, à materiâ, quam tractat, & in quâ versatur. Mores enim, tametsi interdum etiam brutis tribuuntur, ut in Virgiliano illo lib. 4. Georg. apiculis: Mores & studia & pepulos & præpoia dicunt: Propriè tamen hominum sunt, & speciatim ex humanæ actiones, quæ consuetudine acquiruntur

runtur, mores appellitantur. Potest 3 vocari Prudentia Philosophica, cum quâ reipsâ idem dicit, non respiciendo ad vulgarem eas discriminandi modum: nam secundum ipsum prudentia per diuturnam praxin, perfectumq; experimentum, à tali, nudum habitum involvente, differre aiunt: sed spectando rem ipsam, quam communi significandi vi expressum eunt: siquidem & idem subiectum ( facultatem *σεξελυθη* ) & idem objectum ( actiones, quâ honestas ) & eundem finem ( summum bonum ) ambæ volunt. Sed sat de nomine.

9. Quia verò omnis, quæ à ratione suscipitur de aliâ quâ re institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, docente Cicerone lib. 1. offic. & nos ejusmodi damus Philosophiæ practicæ descriptionem. Philosophia Practica est pars Philosophiæ, quæ informat actiones humanas liberas, quatenus in iis honestas refulgere debet, ut tandem homines summo bono civili fruantur.

10. Orationem hanc definitivam resolvimus in Genus & differentiam.

II. Genus civilis prudentiæ legitimum ex rei veritate constituimus partem Philosophiæ. Certum est philosophiam esse totum; nec tamen vel universale, vel essentielle. Non illud, quia non prædicatur de pluribus specie differentibus in Quid. Neq; enim declarativa Philosophiæ, quod sit habitus scientiæ & prudentiæ constans ejus partibus tribuitur. Non hoc, quia non accipit essentiam à partibus habentibus rationem actus & potestatis, in quo toto semper pars alia est perfectiva alterius & proinde alia ab aliâ semper perfectibilis. Erit ergò totum integrum & quidem heterogeneum; non in suppositione primariâ, cum Philosophiæ integritas non compleatur per partes quantitativas; sed per analogiam secundariâ, quatenus ad modum quantitativarum partium à scientiâ & prudentiâ Philosophia integritatem, suam accipit.

12. Ut

12. Ut verò in totis integris propriè sic dictis & quantitativis partes definiuntur mentione totius, quemadmodum manuum definitio: Manus est pars corporis: ita hic quoq; procedendum erit, emergetq; prædictum genus verum, nempe quod Philosophia practica sive civilis (commodiore enim voce destituimur) sit pars Philosophiæ.

13. Non ergò facimus cum illis, qui vel Artem, vel Scientiam accuratam ejus genus constituunt. Tametsi enim rebus intellectis in verborum usu faciliores esse debemus, & hæc & similes quæstiones, quæ sub initium quarumlibet disciplinarum tædiose non raro agitantur, præsertim ob multiplicem istarum vocum acceptionem sæpe videantur spinosæ magis, quàm fructuosæ; nihilominus qui accuratæ Philosophiæ principia tenet, uti omnem terminorum confusionem serio detestatur, ita si de rigeroso ac propriè sic dicto genere sermo sit, adducta ex aliorum opinione genera proveris vix admittet.

14. Quod enim Scientia non sit, patet i. inde quia finis ejus non est contemplatio, sed actio Aristoteles 10. Ethic. c. 9. Neq; enim is, qui cognoscit virtutes, & de iisdem prolixè & eruditè differit, summum bonum civile possidet & honore adficitur; sed qui secundum virtutis præscriptum omnes vitæ suæ actiones componit & adornat. Non est Philosophia inquit Seneca Epist. 16. Populare artificium aut ostentationi paratum. Non in verbis, sed in rebus est, nec in hoc adhibetur, ut aliquâ oblectatione dies consumatur, ut dematur otio nausea. Animum ornat & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum: sine hac nemo securus est. Innumerabilia accidunt singulis horis, quæ consilium exigunt, quod ab hac petendum est.  
Unde

Unde nulli, dicente eodem epist. 108. Pejus merentur de omnibus mortalibus, quam qui Philosophiam velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt. Exempla enim seipsos inutilis disciplinæ circumferunt nulli non vitio, quod insequuntur, obnoxij. Non magis mihi potest, pergit, talis prodesse præceptor, quam gubernatur in tempestate nauseabundus.

15. Objicis, Philosophiam practicam requirere præviam virtutum cognitionem. Non ergò solam praxin, sed simul quoq; theoriam Philosophiæ practicæ finem esse. *¶* Breviter, confundi *γῶσις* cum *θεωρία*, quarum illa longè latius patet, quam hæc. Est enim *γῶσις* ille mentis actus, quo intellectus noster objectivè indeterminatus è statu & iudeterminati in statum & conditionem determinati primò deducitur. Generale ergò quid est competens tribus illis mentis nostræ functionibus *θεωρία*, *πράξις*, & *ποίησις*, *θεωρία* sive contemplatio accuratè loquendo est tantummodò rerum, quæ actionem & effectum respiciunt, sive ut loquuntur, rerum ex naturâ suâ non operabilium. Quapropter etsi ultro in Philosophia practicâ *γῶσις* cognitionem aliquam largimur (nunquam enim voluntas hoc vel illud agendum imperat, nisi prius tale ab intellectu cognoscatur;) Theoriam tamen eidem prorsus detegamus, cum formalis Theoriæ ratio ipsi nequeat applicari.

16. Patet & hinc scientiam propriè & strictè ita dictam Philosophiæ practicæ genus non esse constituendam, quòd scientia sit rerum necessariorum & sempiternarum, non verò contingentium, ut rectè docet ex Aristot. 6. Ethic. c. 6. Zabarell. lib. 1. de naturâ Logicæ c. 2. Necessaria autem dicimus, quæ non pendent à voluntate nostrâ, sed per se sunt vel fiunt à naturâ per certas causas operante. Contingentia, quæ pro arbitratu nostro possunt esse & non esse. Cum ergò manifestum sit & cuiusvis obvium ad posteriorem classem humanas actiones esse referendas; simul & id evictum est, practicam Philosophiam,  
B quæ

quæ circa actiones humanas occupatur, scientiam eo sensu appellari nec posse nec debere, multò minus scientiam hujus Philosophiæ partis accuratum genus esse.

17. Quid, quod, nec exquisitis demonstrationibus utatur, cum careat subjecto demonstrativo, destituaturq; requisitis ad demonstrationem necessarijs, nec gradus necessitatis ipsi semper accommodari possint. At ubi propriè sic dicta scientia, ibi datur demonstratio i.e. cognitio adfectionum de subjecto per causas, cum scientia sit habitus demonstrativus, uti ex definitione scientiæ Aristotelicâ patet, quæ extat. Post analyt. c. 2.

18. Sed nec Ars accuratum genus Philosophiæ moralis potest constitui. Τέχνη ἐστὶν ἐξῆς μετὰ λόγου ποιητικὴ: Ars est habitus cum recta ratione effectivus Arist. lib. 6. Eth. c. 4. Philosophia ἡ πρακτικὴ ἐστὶ ἐξῆς πρακτικὴ habitus activ' ἢ δὲ μετὰ λόγου ἐξῆς πρακτικῆς, ἡπερὶ ἐστὶ μετὰ λόγου πρακτικῆς ἐξῆς ἢ δὲ περιέχεται ὑπ' αὐτῶν. ἢ πᾶσι ἢ πρὸς τὰς πράξεις ποιησις. ἢ πᾶσι ἢ ποιησις, πρὸς τὰς ἐστὶν. Habitus v. pergit ibidem Aristor: cum ratione activus diversū quid est, neq; à se mutuo cōtinentur: neq; enim actio effectio, neq; effectio actio est. Quod si igitur actio effectio non est, nec habitus activus, effectivus, cum differentia partis oppositæ non possit tribui parti oppositæ, & omnibus parti isti oppositæ subordinatis, sequitur nec Philosophiam practicam ceu habitum activum posse esse artem, habitum scil. effectivum.

19. Obstare, verò huic adsertioni nostræ videtur vulgatum illud, quo Philosophiam dicunt artium liberalium comprehensionem. Illius ergo partem quando facimus Philosophiam practicam Thef. 12. videmur pari ratione concedere, eandem artem esse. R. Principium petitur in majori. Negamus enim Philosophiam esse artium liberalium comprehensionem in sensu stricto ac Philosophico artis voce sumptâ.

20. Hæc quæ hactenus disputata sunt, etsi longè sunt verissimâ; ramen propterea litem nemini movemus, si quis in sensu vulgari & populari Ethicam sive Philosophiam practicam, prout præceptorum & utilium usû cognitorum comprehensionem designat, artem; prout in illâ certa datur quarundam universalium propositionem cognitio, scientiam vocitare velit.



atum, quod hic subiectum disciplinae dici potest, illud scilicet, in quo disciplina occupatur. Et hæc significatio est huius loci propria.

25. Porro circa hanc ultimam significationem vox subiecti denudè ambigua est. Accipitur enim 1. ad modum laxè & populariter pro quavis re, quæ in disciplina aliquâ consideratur, quo sensu virtus, adfectus, summum bonum possumus dicere Philosophiæ practicæ objecta. (2.) Subiectum in disciplinis operatricibus sæpè accipitur pro fine. Non quod finis in illis verum objectum sit, sed propter similitudinem, quam habet finis practicæ ad subiectum speculativæ. Ut enim hæc ab hoc, ita ista ab isto dependet. (3.) Subiectum significat nec quodvis promiscuè in disciplinâ tractatum, nec finem disciplinæ practicæ; sed in disciplinâ speculativa id, in quo occupamur cognoscendo; in practicâ, in quo occupamur operando: quorum illud subiectum de quo sive demonstrationis: Hoc subiectum in quo, subiectum operationis appellatur.

26. De hoc ergo subiecto operationis, in quo laborando Philosophia practica occupatur quando quæritur, perinde fere esse arbitramur, sive dicamus cum alijs, illud esse hominem, quatenus civilis felicitatis capax est, sive dicamus cum Piccolomineo & alijs, illud esse humanas actiones liberas, quatenus honestas in illis refulgere debet.

27. Quod ut rectius intelligatur, observandum est, sicut in omni objecto duo consideranda veniunt: materiale & formale objecti; quorum illud rem consideratam: hoc considerandi modum norat: ita hæc duo non minus in adsignato nostro objecto reperiri. Materiale objecti sunt actiones humanæ, (non omnis generis tales: excluduntur enim naturales & coactæ; sed) liberæ seu voluntariæ, quæ mores dici consueverunt. Formale sive modus considerandi est, quod actiones humanæ hic non spectentur ut sic, seu reduplicativè, cum sic conceptum nimis generalem, huicq; disciplinæ inadæquatam dicant; sed specificativè, prout nempe in ijs honestas

stas resfulgere debet. Quo sensu habitu tali directivo opus habent, ipseque, uti omnia, ita eas ad *καλῆ* normam exigit.

28. His prænotatis talem adserptionis nostræ producimus rationem. Cujus adserptiones in aliqua disciplinâ explicantur, cui medium pro consequendo fine substernitur, quodque disciplinam aliquam ab omnibus alijs rebus distinguit, id verum est disciplinæ illius objectum. De allegato nostro objecto verum est prius: Ergo & posterius. Majorem nemo vocabit in dubium, qui objecti naturam penitus cognitam perspectamque habet. Minorem probamus exemplo omnium, quotquot in Philosophiæ practicæ partem generalem Ethicam communiter dictam aliquid commentati sunt. Substernitur iisdem medium pro consequendo fine summo bono pratico nempe virtus. Præterea nulla alia disciplina est, quæ tractet actiones humanas, quatenus beabiles & honestæ dicuntur.

29. Objecto nostro hac ratione declarato & probato progredimur ad finem. Ab eo enim alteram differentiam in definitione datâ partem desumptam esse, dictum est. Est autem finis Prudentiæ sive Philosophiæ practicæ vel 1. *scilicet* cuius adipiscendi causa agens movetur & agit: vel 2. *scilicet* cui, in cuius gratiam agens agit, seu cui finis cui acquiritur. Ille hoc loco est summum bonum practicum sive beatitudo civilis: Hic est homo, in cuius perfectionem tota Philosophia practica cedit. Est 2. vel 1. internus, intermedius & subordinatus, vel 2. externus, principalis & ultimus. Illum dicimus hoc loco esse informare mentem hominis moribus & virtutibus, vel rectius instruere intellectum, ut in appetitum debitum exerceat imperium, eumque sibi subiectum faciat. Hunc dicimus esse summum bonum practicum, de quo plura in disputatione proximâ. Et si enim unius disciplinæ accidentaliter & inadæquatè plures etiam externi fines esse possunt, sicut studio Philosophiæ practicæ illustratur doctrina Physica, consultitur Jurisprudentiæ, Theologiæ inser-

vitur &c. nihilominus non nisi unus est essentialis & adæquat-  
us finis, & quidem præsupponendus quo ad  $\alpha$  &  $\beta$ , quippe quo  
sine actio faceffit.

30. Atq; hætenus generalem Philosophiæ practicæ  
naturam definitivè expendimus. Priusquam verò progredia-  
mur, operæ pretium me facturum puto, quando brevem causa-  
rum explicationem præmiserò.

31. Quod si itaq; à Deo omne donum perfectum largi-  
ente recesserimus. 1. Efficientis nomine venire possunt aucto-  
res, qui eam excoluerunt, & ad nos transmiserunt multi & ma-  
gni, quales præter sacros fuerunt thales Milesius unus, ex septem  
Græciæ sapientibus, ejusdemq; discipuli, nec non Socra-  
tes, Plato, Aristippus, Euclides, Pythagoras & imprimis  
salutaris ille Philosophiæ sol ac lumen Aristoteles, qui omnes  
alios hac in re vicit, ut testantur ipsius Ethica, quæ ipsemet con-  
scripsit, secus ac sentit Cicero lib. 5. de finibus. Arguit enim id-  
ipsum non tantùm styli proprietates, rerum gravitas, & metho-  
dus Aristoteli usitatissima; verùm & ipse Aristoteles eos pro  
suis agnovit, quando partim in aliis suis scriptis istorum men-  
tionem facit; partim in his libris lectorem ad posteriora analy-  
tica remittit: partim deniq; in calce lib. 10, c. 9. eosdem cum po-  
liticis connectit, quos ab Aristotele conscriptos esse extra con-  
troversiam est. Vid. lib. 2. Polit. c. 1. lib. 7. polit. c. 1. lib. 1. Metaph.  
c. 1. lib. 1. Eth. c. 2. lib. 6. Eth. c. 2.

32. Materiam 2. ex quâ proprio sic dictam, ut &  
cætera accidentia, neutiquam admittit. Analogica sic dicta  
materia & quidem materia in quâ est intellectus humanus:  
circa quam sunt actiones humanæ, ut jam ante thesi 28. est con-  
firmatum. Formam; propriè sic dictam pariter non habet,  
imò potius ipsa forma accidentalis est & potentiâ subjecti in sub-  
jectum introducta. 4. Finem ejusdem ultimum summum bo-  
num practicum constituimus. Et tantùm quoq; de causis.

33. Superest ut partes Philosophiæ practicæ introspectia-  
mus. Distribuitur autem ea vulgo in tres partes veluti tres rea-  
liter

liter distinctas disciplinas, in Ethicam, Politicam & Oeconomicam. Distinctionis rationem dicunt esse triplicem, ut loquantur virtutis rationem, quâ imbui & informari homo potest. Ut enim in vita privatâ quis virtutem exerceat, Ethicam docere ajunt; ut Remp. probé gerat, Politicam; ut deniq; rem domesticam & familiarem prudenter administret, Oeconomicam. Ita docet præter veteres non nullos ex recentioribus Franciscus Toletus in præfatione in Dialect. c. 2. cui adstipulantur viri multi Clarissimi, qui alioquin Philosophiam peripateticam sectantur.

34. Verùm hæc opinio Picolomineo in introductione ad 10. gradus Philosophiæ civilis p. 13. seqq. & qui eum sequuntur, meritò improbat. Quia Ethica non singulos duntaxat & privatos homines in se consideratos informat; sed in genere præcepta tradit de virtutibus, earumq; actionibus, a quibus seu principijs & fundamentis ipsa oeconomica & politica pender, & sine quibus homo neq; civis bonus, neq; bonus Paterfamilias esse potest. Refertur enim ad Politicam & Oeconomicam quæcunq; in Ethicis traduntur, inde constat, quod unus idemq; finis ubiq; sit propositus, unum idemq; objectum, eadem deniq; media. Primum docet Aristoteles 1. Eth. c. 2. idem, inquit, unius hominis & totius civitatis bonum est, & 1. Polit. c. 2. manifestum est, scribens, unam & eandem esse felicitatem singulorum hominum & universæ civitatis. Quo respectu 1. Eth. c. 2. totam Philosophiam practicam politicam appellat, sicut & 1. Magn. Moral. c. 1. expresse dicit, tractationem de moribus partem politices esse: & 1. Rhetoricorum c. 4. Ethicam vocat Politicam, quæ circa mores versatur. Alterum, objecti identitatem, docet hoc, quod negari non potest in politicis & Oeconomicis considerari actiones humanas, & quidem hoc respectu, ut honestas in illis refulgeat. Quamvis enim ob specialem virtutum applicationem sit discrimin. inter Ethicam & politicam: modus tamen considerandi generalis semper manet idem. Tertium, mediorum identitatem denuò firmat Aristote-

stoteles 3. Polit. c. 12. Per easdem res, inquam, vir bonus & civitas constituitur. Hinc quod virtutes sunt Ethico, id leges Politico, cum lex nihil aliud sit, quam præceptum de virtute auctoritate publicâ munitum.

35. Falsum 2. est, quod Politica tantummodò Magistrarum erudiat, quomodo Remp. bene gerere; Oeconomica tantummodò Patremfamilias doceat, quomodo rem domesticam prudenter administrare debeat. Quin potius sicut illa totius Reip. omniumq; membrorum ejus i. e. cum imperantium tum obtemperantium; ita hæc totius familiæ mores & actiones honestate imbuit & informat.

36. Rectius ergò faciunt, qui cum Averroë, Piccolomineo & aliis Philosophiam practicam in duas partes tribuunt: Generalem seu communem, quæ in genere doceat, quicquid ad vitæ civilem felicitatem facit, Piccolomineo c. 8. Introd. in 10. gradus Theorica dicta: & Specialem sive propriam, eidem Piccolomineo practicam nuncupatam, quæ ad specialia magis descendat. Generalis sive Ethica communiter dicta subdividi potest in *εὐδαιμονολογίαν* & *ἀρεπολογία*. Specialis in politicam & oeconomicam.

37. Fundamentum hujus distributionis est duplex objecti & finis coram mente representatio. Quot modis enim tantum in genere & proximè disciplinæ alicujus objectum, & in practicis finis, qui objecti ingenium imitatur, coram mente representatur, tot tantum & non plures sunt illius disciplinæ partes: quia disciplina nihil aliud est, quam objecti sui coram mente representatio. Cum ergò non tantum actiones in quibus honestas radiare debet, velut objectum hujus disciplinæ, duplici facie appareant, alterâ, quâ generaliter, quatenus virtuosæ & honestæ dici debent, videntur; alterâ, quâ applicate & speciatim, quatenus nimirum sunt actiones honestæ hominum vel civiliter vel familiariter & domesticè viventium; sed etiam finis natura bifariam se se offerat: generaliter, ab homi-  
ne in

ne in genere acquirendus, & specialiter à viro vel homine in hoc vel illo vitæ genere constituto: Consequens est per divisionem immediatam & proximam non nisi duas prædictas philosophiæ practicæ partes constituendas esse. Atq; hæc pro tempore de natura Philosophiæ practicæ generali dixisse sufficiat.



## COROLLARIA.

I.

Utrum Theologia & Philosophia practica sibi invicem contrariantur? Neg.

II.

Utrum Philosophia practica in Christianorum scholis utiliter possit retineri, tametsi recte vivendi præcepta purius & salubrius ex sacrarum literarum fontibus hauriantur? Aff. cum hac restrictione, ut Christiana seu divina Ethica tanquam Domina præcedat & præluceat: Hæc Philosophica tanquam pedisequa sequatur.

III.

An eadem Theologo & Jurisconsulto sit necessaria. Resp. D. inter necessitatem absolutam & hypotheticam, quam expedientia in scholis vocant. Necessaria est Theologo & Jureconsulto Practicæ Philosophiæ cognitio non *κατὰ τὸ ἀπὸ τῆς*, sed *κατὰ τὸ β*, non quo ad τὸ πᾶσι sed quoad τὸ ἐκ γινώσκαι i. e. non quoad notitiam simplicem & absolutam, sed quoad notitiam pleniorē & solidiorē.

C

IV. VI.

Ultra Philosophiæ pars sit præstantior? Diverſæ  
 ſuper hac quæſtione ſunt Autorem ſententiæ, quo-  
 rum alij pro Philoſophiâ Theoreticâ; alia pro practi-  
 ca depugnant: alij diſtinctionis temperiem adhibent.  
 Nos pro quæſtionis determinatione diſtinguimus  
 inter dignitatem & utilitatem, eâq; diſtinctione præ-  
 ſuppoſita utramq; diverſo reſpectu alteri præferen-  
 dam eſſe adferimus. Practicam quidem reſpectu uſus  
 in vitâ communi, actionumvè civilium; Theoreticam  
 contrâ reſpectu dignitatis, objecti & certitu-  
 dinis.

**E**Rgo petis cathedram, CRULLI, lectiſſime Amice?  
 Officiûq; hominis propoſiturus ades?  
 Officiû peragis, decet ut virtutis amanti,  
 Perſta, & virtutis præmia larga ferēs.  
 Gratulor ex animo, cæptum DEUS ipſe ſecundet,  
 CRULLIUS: ut Patri ſit Patriæq; decus.

M. HENRICUS WROCCIUS.

**D**um tu naturam cauſasq; ab origine morum:

*Eruiſ his Theſibus, dulcis amice, tuis,*

*Quantum naturâ valeas & moribus apris*

*Indicat ingenuo pagina docta ſtylo.*

*Sic porro ingenij nativus exprime dulcis:*

*Judicium ſerâ poſteritatis erit.*

Ita amico ſuo

oculit, dil. grat.

OTTO SONNEMANNUS

Cellâ Lunab.

*Ad Praef. & Literariſſ.*

**Dn.** Respondentem, con-  
tubernalem ac amicum ſuum dilectum.

**N**unc palam **CRULLI** venerande amice  
Approbas nobis dederis quòd horas  
Sedulas Muſis, petis alta quando  
Pulpita doctùm.

Offerens Diæ Genij Minervæ  
Sacra, donarunt tibi quæ Camænae,  
Atq; virtutis latuiſſe ſpargens  
Nefciæ odorem.

Perge ſic, quo te generoſa ducit  
Indoles, diciq; merebere ultro  
Patriæ ſplendor, patris atq; clari  
Clara propago.

*A S C A N T U S Mahler!*  
*VVunſtorpio-Brunſ.*









*Ad Praef. e*  
Dn. Respon  
tubernalem ac amice

Nunc palam CRULL  
Approbas nobis ded  
Sedulas Musis, petis alta c  
Pul

Offerens Diæ Genij Mine  
Sacra, donarunt tibi quæ C  
Atq; virtutis latuisse sparg  
Ne

Perge sic, quo te generosa  
Indoles, diciq; merebere  
Patriæ splendor, patris atq  
Cl



n, con-  
lectum.

le amice  
ras

n.

IL.

*T u S Mahler!*  
*instorpio-Brunf.*

